6

ALOYSII COLLA

FREYLINIÆ GENUS

ADDITA ICONE.



Pulcherrima stirps, quam describere constitui, primum floruit decem circiter ab hinc annis in tepidario el. Comitis Freylin, et in nonnullis catalogis nuncupata fuit *Freylinia oppositifolia* (1) inde *Buddleja glaberrima* (2) demum cl.[1] Link et Otto (3) iconem praebuere, quae omnino convenit cum nostra planta, excepto germine, et censuerunt esse *Capraria lanceolatam* (4), quam Steudel dubitaverat *Russeliae* speciem (5)

Germen in icone Link et Otto (6) videtur duplo auctum, et praesefert stylum longiorem quam revera sit idem transversim sectum multoties auctum (7) refert *capsulam bilocularem seminibus sex in sphorophoro centrali*, uti in descriptione (8)

Forsan in H. Berolinensi fructus ad maturitatem non pervenerunt, quemadmodum fauste et copiose contigit apud nos, uti videre est in icone a *Tecofila* deliciis meis picta, inde ab eadem in lapidem delineata (*lithographata*)

(1) *Le Jardin de S. Sébastien par le Marquis de Spin* Turin 1818, p. 13, *et not.* 12
(2) *Herb. de l'Amat. et Catal. H. Taurinensis* an. 1821 pag. 15.
(3) *Ic. pl. select. H. Berol.* fasc. 1 tab. 4
(4) *Lin. supp. p.* 284
(5) *Steudel Nomencl. Botan. p.* 148
(6) Fig. 5.
(7) Fig. *d*
(8) *Ic. pl. select. H. Berol.* p. 11

Fructus est *drupaceus nucibus quatuor dispermis* species igitur non pertinet ad *Caprariam* quae gerit *capsulam bivalvem bilocularem polyspermam*, et a qua valde differt habitu.

Num *didynamia*, *tetrandra*, an *pentandra?*

Si ad *Didynamiam angiospermiam* spectaret, uti annuerunt Link et Otto, referenda esset inter *Citharexylum* et *Durantam*, quibus prorsus affinis non habitu, sed praesertim ratione fructus in *Citharexylo* drupa disperma, nucibus bilocularibus in *Duranta* nuces quatuor biloculares dispermae: tunc ad *Vitices* in ordine naturali dicto, non ad *Scrophularias* spectaret; at inconstans staminum inaequalitas nimis fallax ad constituendam veram *Dydinamiam*.

Porro ad *Tetrandram* haud pertinere videtur. 1.° Ob quinti saepe staminis praesentiam, licet facile abortiens, ubi liberum est. 2.° Ob divisionem calycis et corollae in quinque lacinias, quod numero staminum congrueret, ubi quintum non abortiens. 3.° Ob fructus naturam, quae non convenit tetrandris, excepta *Myonima*, in qua drupa nuce 4-loculari 4-sperma.

Potius igitur puto ad *Pentandriam Monogyniam* pertinere, praecipue quia refert habitum *Cestri*, cum quo prorsus quadrat, exceptis absentia accidentali quinti staminis, et fructu qui in *Cestro* baccatus.

Medium tenet inter *Cordiam* et *Ehretiam*, quarum prima gerit *drupam-nuce biloculari*, altera *drupam biloculatem nucibus solitariis bilocularibus*, hunc ad *Borragineas-Sebesteneas*, fructu inspecto referri potest, habitu autem ad *Solanaceas*.

Nomen genericum *Freyliniae* impositum a cl. Mauritio Pancella (1) retinendum censui in honorem Botanophili meritissimi, qui primus hortum botanicum rarissimis tunc stirpibus ditatum *Buttiherae* Astensi instituit, ac enumerationem plantarum ibidem excultarum in lucem edidit anno 1785 specificum autem mutandum existimavi, fieri enim potest, ut aliae species, si quae sint, gerant folia *opposita* quod vero substitui habitum recte indicat.

FREYLINIA (Pentandria monogynia inter *Borragineas-Sebestenas*, et *Solanaceas*)

Charact. essent. genericus.

» *Calix* 5-partitus, *corolla* infundibuliformis, *stamina* 4
» subaequalia perfecta, rudimentum quinti, *drupa* nucibus
» 4 dispermis ».

Charact. essent. specificus.

» F. Cestroides : foliis oppositis lineari-lanceolatis integer-
» rimis glabris, paniculis terminalibus e racemis brevibus,
» corollae laciniis revolutis (cor. croceae) N. »

Freylinia oppositifolia Spin. catal. 1818 ent. 12.

Buddleja glaberrima herb. de l'Amot., et Cat. H. Taurin. 1821 p. 15.

Capraria lanceolata foliis oppositis lineari-lanceolatis integerrimis, racemo terminali composito, racemulis abbreviatis *Link* et *Otto* icon. H. *Berol.* fasc. 1. pag. 11.

---

(1) Diar. Taurin. suppl. ad n. 59 die 17 maii 1817

Capraria lanceolata *Lin.* suppl. p. 284, *Ait.* H. Kew. ed. 2. t. 4. p. 46, *W.* sp. pl. 3. 1. p. 324.

Descriptio.

Radix perennis fibroso-ramosa. *Caulis* fruticosus in tepidario 3-4-pedalis, subtetragonus, ramosissimus. *Rami* oppositi divaricati. *Folia* opposita lineari-lanceolata, basi in petiolum attenuata, integerrima, utrinque glabra, 2-3 poll. longa, 3-4 lin. lata, enervia, costa media subtus prominula, sempervirentia. *Flores* paniculati. *Paniculae* terminales compositae e racemis brevibus bracteis linearibus suffultis. *Calyx* brevissimus, 5-partitus, persistens. *Corolla* infundibuliformis, *tubo* 3-4 lin. longo, inferne albido, superne croceo; limbo 5-fido, laciniis ovato-acutis, revolutis, croceis. *Filamenta* saepius quatuor longitudine tubi, subaequalia, interdum quinque, cujus unum brevius saepius sterile; *antherae* subsagittatae. *Stylus* filiformis longitudine tubi persistens; *stigma* capitatum, *germen* ovale 4-loculare. *Fructus* ovalis drupaceus exsuccus torulosus, nucibus quatuor. *Nuces-Pyrenae* dispermae difformes, seu irregulariter ob-pyramidato-tetragonae; *putamen* latere superiore laevi, convexo, caeteris torulosis planis; *nuclei* ovales minutissimi.

Hab. ad Cap. B. S. ♄ floret sept.-decemb. in tepidario.

Iconis explicatio.

Fig. 1. a sin. ad dext. Calyx 5-partitus

Fig. 2 Corolla longitudinaliter secta et explanata, ut appareant quatuor filamenta perfecta, et rudimentum quinti

Fig 3. Pistillum

Fig. 4 Idem auctum, cum germine basi calyci insidens

Fig 5 Germen multoties auctum et transversaliter sectum

Fig 6 Idem longitudinaliter sectum

Fig 7 Fructus magnitudine naturali

Fig 8. 9. 10. 11. Nuces-Pyrenae variis lateribus visae.

Fig. 12 Nux transversaliter secta ut appareant nuclei

